



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatae

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus


Ingolstadii, 1728

Decisio XX. De repulso ab Ordinibus ex defectu Corporis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](#)

probationem ajo, votum castitatis simplex, post sponsalia emissum, nec vinculum est, quia nulliter editum, adeoque nec vinculum fortius. Promissum non infringit, qui commutat in melius sine injurya tertii. C. cum injurya tertii. N. in modo negatur suppositum, quod possit esse melius, quod neque bonum, propter conjunctam tertii injuriam, esse potest, uti votum castitatis post sponsalia. In c. 3. cit, est sermo de promissione Deo facta, cui si aliquid melius subrogatur, censetur esse gratius Deo, & istud acceptari; cum haec mutatio fiat sine

injuria Dei, in modo cum beneplacito, In d. c. 5. Illa mulier ideo punita, & dispensativa admissa post votum castitatis ad Matrimonium est, quia alter, quam illi, cui per sponsalia ante votum contracta se obligaverat, voluntu nubere: si voluisset nubere sponso, cui se obligaverat per sponsalia ante editum votum, nec punita, nec dispensativa fuisset admissa ad novum Matrimonium; quia votum respectu prioris sponsi, utope cedens in hujus praejudicium & injuriam, non fuit validum, ipsa vero obligata dicere priorem sponsum,



TITULUS XX.

De Corpore vitiatis Ordinandis, vel non.

DECISIO XX. De repulso ab Ordinibus ex defectu Corporis.

SPECIES FACTI.

AThanasius per aliquot annos SS. Theologiae studiosus ob praeclaras dotes animi tam dignus erat, quam avidus Ordinum; quia tamen potentia visiva in oculo sinistro, cuius tamen organum habuit, penitus carebat, ab Examinatoribus saepius repulsam tulit, meo quidem judicio non tam propter defectum potentiae visivae in uno oculo,

quam propter conjunctam fortassis aliquam deformitatem, ita ut propter complexum utriusque ab Ordinario, cuius est in dubio, an quis ob vitium Corporis pro irregulari & ordinum incapaci habendus sit, nec ne, judicare & decernere, repulsus videatur. Nam ratione oculi tantum in favorem Athanasi mihi decidendum fuisse videtur

DUBIUM

D U B I U M.

An destitutus potentia videndi in oculo sinistro tanquam irregularis ab Ordinibus repellendus sit?

Sic equidem aliqui fortassis judicaverint. I. quia talis plane videatur effici vitiatus corpore, nimis vel mutilatus, vel saltu debilitatus in aliquo membro corporis; cuiusmodi sunt irregulares, ut si quis unam manum non habeat. c. 6. b. t. vel habeat quidem, sed aridam & inutilem, vel pollice carentem aut indice. arg. c. fin. eod. ergo etiam qui caret oculo aliquo, vel ejus usu. II. In can. fin. d. 55. similiter irregularis dicitur, cui eritus est oculus. Et III. In c. 1. b. t. qui amittit digitum, licet non necessarium ad functiones sacras. IV. Oculus sinistru appellatur *Canonicus*, nimis à SS. Canonibus pro necessario habitus, ut quis ordinari possit. V. Nec obstat, quod vices oculi simili posse supplere dexter; nam non obstante, quod oculus erutus etiam supplebilis sit arte per oculum fictium ex lapide vel vitro, ut & quo ad videndum per oculum alterum: item non obstante, quod index, tanquam digitus *Canonicus*, in tractanda holtia supplebilis sit per alium digitum; tamen oculo, vel indice carentes nihilominus habentur pro irregularibus: ergo & noster Athanasius est habendus pro irregulari, non obstante, quod visio per oculum dextrum fieri possit, & eo sine scandalo aut inde-

cora faciei ad populum conversione legi Canon Missæ.

At, quoniam ex una parte indubitate Juris est, quod nulla detur vel incurritur irregularitas, nisi clare in Jure Canonico sit expressa, & specificè declarata. c. 18. de sent. Excom. in 6. ex altera vero ex adductis non sufficienter probetur statuta in jure Canonico irregularitas in laborantem defecitu potentiae visivæ in uno oculorum, sive dextero, sive sinistro: idcirco omnino tenendum, talem irregularē non esse. Barbos. de potest. Episc. alleg. 42. n. 31. Tambur. de Censur. & irregul. c. 8. §. 1. Pirhing hic n. 6. Res proinde salva erit, & extra dubium posita, si argumenta contraria solidè fuerint dissoluta. Proin

R. ad 1. N. Ant. nam *mutilatus* dicitur, qui caret aliquo membro integro, particularē functionem habente: sed talis non caret membro integro, quia oculum utrumque habet, licet unum debilitatum, seu potentia visivæ destitutum. *Debilitatus* autem vocatur, qui habet membrum aliquod ad functiones & ministeria sacra alias necessarium, ita debile vel captum, vel ineptum, ut ad illa debite exercenda sit omnino insufficiens ob defectum activitatis, vigoris, vel proportionis: sed talis non est carens

potentiā visivā unius tantūm oculi, cùm alter possit sufficere ad omnes functiones, quantum requiritur ex parte visus. Paritas cum non habente unam manum, vel habente ari-dam, non est, quia ille prior verè est mutilatus, posterior autem verè debilitatus in ordine ad celebrationem & sacrificia Missarum, quod omnes Ordines referuntur: quapropter si quis in ordine ad Sacrificia & celebrationem Missarum ob vitium corporis est ineptus, absolute & quoad omnes Ordines censetur esse irregularis. per can. i. d. 36. can. 59. d. 50. &c. 6. b. t. Ad II. Iterum non est paritas, quia, cui erutus est oculus, est mutilatus, & caret membrō, ac de tali clarē expressa est irregularitas can. fin. cit. carens verò præcisè potentiam visivā non caret membro, nec de illo expressa in Jure legitur irregularitas. Ad III. In d. c. i, longè alius proponitur casus, nimirum de presbytero, qui in duello partem digiti amisit, qui propter hoc delictum publicè scandalosum fuit punitus suspensione, non verò ab usu Ordinis prohibitus tanquam irregularis ex vitio corporis. Ad IV. Oculus sinister non ideo appellatur Canonicus, quod de Jure Canonico sit necessarius ad hoc, ut aliquis sit capax Ordinum, sed ideo, quod regulariter serviat immediate & propinquius ad legendum *Canonem Missæ*: quia verò, si contingat hunc oculum reddi ineptum ad hoc munus, *Canon* legi sine inconvenientia potest oculō dextrō, per accidens oculus dexter fit canonicus, & supplet defecatum alterius: de Jure Canonico autem nullibi requiritur adæquatus sensus visus, consistens in utroque oculo, sed solum potentia visiva tali, quæ ad ministerium Sacerdotale sufficiat; quæ potentia reperitur tam in dextro, quam in sinistro oculo, etiam sine altero. Ad V. Negatur iterum paritas; quia, cui oculus omnino erutus est, simpliciter pronuntiatur irregularis in Jure, ut & qui caret digitō canonico, pollice aut in dice, per inunctionem specialiter deputato ad officium Sacerdotale, sive dein alius substituatur oculus fictitius, vel alius digitus per accidens supplet Canonici vices, sive non: non vero ita simpliciter pronuntiatur irregularis, qui unum duntaxat oculum habet sua activitate destitutum, si fine indecoro vel deformitate possit altero supplere omnia, legere Missam, & ejus *Canonem* &c.



TITU